

Et si aliquis Venetus non interfuerit ibi et cum ordinatione seu sine ordinatione mortuus fuerit, omnia bona ipsius in manibus nostris et in nostra custodia deveniant; donec habeamus litteras dominis ducis Veneciarum vel baiuli qui erit in Accon, que sint alterius illorum sigillo sigillate; et secundum tenorem illarum litterarum dicti domini ducis vel baiuli mandatum de rebus mortui sine contradictione aliqua adimpleatur.

Si autem duo ex Venetis vel plures contemptionem vel discordiam inter se habuerint in terra nostra, Nos eisdem Venetis aliquem probum et discretum virum statuemus per quem contemptis derimatur, et inter eos concordia reformatur.

Quod si aliqua contemptio inter Armenos et Venetos evenit et interficiatur homo, in regali nostra curia per iustitie sententiam finiatur.

Cum vero inter Venetos emergente discordia non fuerit de Venetis qui possint concordiam inter eos reformare, per iudicium Sissiensis ¹ Archiepiscopi reformatur.

Et si Venetus cum hominibus alterius gentis aliquam contemptionem habuerint, in regali nostra curia per iustitie sententiam decidatur.

Concedimus autem et damus in civitate Sysije ipsis Venetis Ecclesiam et domum et locum pro domo et victualia pro sacerdote et clerico qui servient ecclesiam, in memoria predecessorum nostrorum, et apud Yatiam² dabimus eis locum ad fatiendum domum.

Ut autem presens privilegium firmum permaneat et inconcussum, propria manu, ut mos est, rubeis litteris illud signamus et regali sigillo aureo illud corroborari fecimus et muniri. Factum est hoc privilegium per manum *Torosii* Cancellarii: anno Inventionis litterarum Arminorum ³ DCCX, mense Novembris.

[Ego Johannes presbiter et plebanus Sancti Marci de Accon, notarius et Ducalis aule Veneciarum Cancellarius, auctenticum huius

1 Nell' originale ossia nell' antica copia è scritta *sufficientis*, per l' ignoranza del copista.

2 Cioè *Ayazzo* o *Lajazzo*; e questa è una delle più antiche citazioni di questo celebre porto, nelle memorie del medio evo.

3 L' anno 710 è dell' Era armena, non dell' Invenzione delle lettere armene.